

re in cassum tentarat, gentis pertinaciâ omnes conatus eludente, magnopere quoque Carolo belli inferendi, ulciscendique perfidos, auctor ac ductor fuit. De his belli initijs ita Ægil Fuldensium Abbas, Sturmionis per xx. annos discipulus, qui hæc ejusdem Sturmionis comes coram spectare potuit. *Regnante feliciter Domino Rege Karolo annos quatuor, Saxonum gens serua et infestissima cunctis fuit, et paganis ritibus nimis dedita. Rex verò Carolus Domino semper devotus, cum ipse Christianissimus esset, cogitare cepit, qualiter gentem hanc Christo acquirere quivisset. Inito servorum Dei consilio (inter quos Sturmio) poposcit, ut precibus Dominum votis suis annuere obtinerent. Congregato tam grandi exercitu, invocato Christi nomine, in Saxoniam profectus est, assumptis universis Christi Sacerdotibus, Abbatibus, presbyteris, et omnibus orthodoxis ac fidei cultoribus, ut gentem, quæ ab initio mundi demonum vinculis fuerat obligata, doctrinis sacris mite et suavè Christi jugum credendo subire fecissent.* Præclaro Principum documento, bella nonnisi Sacerdotum precibus & comitatu esse ingredienda. Igitur traducto ad Moguntiam per Rhenum exercitu, inde per Weteraviam Hassiamque digressus, intra fines Saxoniae Eresburgum, apud nos in prærupto monte castrum, celebre gentis fano & simulacro Jrmensul, expugnat, ejectoque Saxonum præsidio, Jdolum & fanum subvertit; ac primam istic Christianæ religionis sedem collocat, ubi gentis superstitio impietatis conventus, cultumque inanium Deorum habebat celeberrimum. Prætereo hîc quæ scriptores nostri de Jdolo Jrmensul, quæ de fano gentis, aut quæ annales Francorum de miraculo fontis, & aquis sitienti per castra militi cœlitus præbitis, tam copiosè perhibent. Expugnato Eresburgo, Carolus ad Visurgim movet, & quæ istic castra præsidiaque Saxonum, occupat; inter quæ & Heristallum ad Visurgim in edito monte castrum reputes, quod primam Episcopi Paderbornensis sedem postea esse voluit Carolus. Ac postquam exercitus latè per Westfaliam vagatus terrorem circumtulit, Saxones Carolo se supplices sistunt, pactique de salute & obsequio Regni Francici, XII. obsides dant. Quibus confisus Rex exercitum ad Rhenum reduxit. Et quia eâ expeditione Carolus multos Episcopos, Abbates & Sacerdotes secum duxerat, uti Ægil Abbas hæc memorat, consultum habuit Rex intra Luppiam & Dimolam munitioribus locis Sacerdotes relinquere, qui rudi populo Christianæ legis doctrinam, per vicos excurrendo, explicarent, & Baptismi Sacramentum traderent. Inde verisimile ex tanta hominum multitudine, quæ haud multò post circa fontes Luppiæ sese ad Baptismum obtulit, extitisse, qui rudimenta Christianæ legis didicerint, quæ per Sacerdotes à Carolo relictos vel commercia cum Hassiæ incolis edocti habere poterant. Hoc salutare, primæ Christianæ religionis initia per Westfaliam in hac diœcesi, hac prima Caroli expeditione invaluisse, quæ exinde planiùs cognoscuntur.

Eresburgum expugnat.

Relinquit in Westfalia Sacerdotes fidem Christi propagaturos.

Annus